19.03.2019 Fauna svecica : - Page 218 (Text)

læ inferiores majores, arcuatæ, acutæ, ad basin denticulo armatæ a latere interiore. Maxillæ inferiores acuminatæ, arcuatæ, denticulo ad basin interne, etiam instructæ. Palpi maxillares superiores singulæ tribus articulis constant, extimo reliquis crassiore: hæ antennulæ maxillis triplo longiores sunt: antennulæ maxillares inferiores unico articulo constructæ, nec maxillis longiores. Oris labium superius obtuso-emarginatum. *Thorax* ater, a tergo convexus, leviusculus, margine laterali prominente versus basin angulato; a parte pectoris thorax compressus cartilagine ensiformi vel scutello versus abdomen. *Elytra* ovata, arcta, atra, margine exteriore elevata, aut dilatata; in singulo elytro tres ordines longitudinales punctorum elevatorum, ovatorum, singulo ordine duodecim communiter punctis: *Abdomen* glabrum, uti totum corpus; *Femora* teretiuscula: Tibiæ ad apicem duabus setis terminatæ.

β Carabus niger, elytris subvirescentibus convexe punctatis striatisque. *Fn.* 512.
Habitat inter quisquilias.
DESCR. Magnitudo, statura, odor & omnia ut in præcedente, sed *Elytra* e nigro subvirescentia; an sexus differentia?

γ Carabus niger, elytris æneis convexe punctatis striatisque. *Fn.* 513.
Habitat inter ligna putrida.
DESCR. Omnia ut in primo, sed elytra, thorax & caput a tergo ænea.

782. CARABUS *clatratus* apterus nigricans, elytris porcatis interjectis punctis excavatis longitudinalibus.
Habitat in putridis.
DESCR. *Corpus* majoris magnitudinis, nigrum. *Elytra* singula sulcis tribus latis, in quibus puncta oblonga, elevata; porcæ sulcos distinguentes acuto dorso sunt.

783. CARABUS *hortensis* apterus, elytris punctis æneis excavatis triplici serie.
Carabus purpurascente-niger, elytris concave punctatis striatisque. *Fn* 514.
Raj. inf. p. 96. *n.* 2. Cerambyx purpurea punctata.
List. mut. t. 18. *f.* 4.
Act. upf. 1736. *p.* 19. *n.* 1. Carabus niger, elytris sulcatis punctatis.
Habitat inter putrida vegetabilia.
DESCR. Omnia ut in præcedentibus. *Elytra* tribus ordinibus longitudinalibus punctorum excavatorum, rotundorum, singulo ordine duodecim punctis constante; Lineæ longitudinales puncta distinguentes etiam concavæ sunt.

784. CARABUS *leucophtalmus* apterus, elytris lævibus: striis obsoletis octo.
Carabus ater, elytro singulo striis octo. *Fn.* 515.

List.

about:blank 1/1